

Lygaeidae et Pyrrhocoridae novae malesiae.

Auct. Gustavo Breddin, Halle (Saale).

Astacops rufipes n. spec.

Coloribus et statura *A. antico* Walk. simillimus, facile distinguitur his notis:

Capite cum oculis quam basi pronoti distincte latiore; oculis longe stylatis; ocellis ab oculis quam inter se duplo longius remotis. Pronoto antrorum angustato, circa basin partis tertiae apicalis leviter constricto ibique in lateribus prothoracis utrimque sinuatulo; area postcicatricali distincte punctata. Corio cum clavo minute punctulato-rugosulo. Rostro coxarum intermedianarum marginem anticum vix attingente. Articulo basali tarsorum posticorum quam articulis duobus apicalibus simul sumptis paulo longiore.

Niger. Antennarum articulo primo, capite, pronoti parte stricturam sita cum parte antica prostethii, rostro (apice excepto), sternis, pedibus abdomineque dilute sanguineis; ventris parte bassali (limbo lateral i vitta media exceptis) nigra. Scutelli carinis sordide lutescentibus. Membrana unicolori, fuscescenti. (Antennarum articulis duabus apicalibus in individuis descriptis mutilatis). Long. corp. $6\frac{4}{5}$ — $7\frac{4}{5}$ mm.; lat. hum. $2\frac{1}{4}$ — $2\frac{1}{2}$ mm. Nova Guinea (Finschhafen). Coll. auct.

Astacops notaticeps n. spec.

Capite cum oculis quam basi pronoti paululo latiore; oculis modice stylatis; ocellis ab oculis quam inter se longius remotis. Pronoto antrorum leviter angustato; ante basin partis tertiae apicalis leviuscule transversaliter impresso; area postcicatricali distincte punctata. Antennarum articulis secundo tertioque fere aequilongis, quarto omnium longe maximo. Rostro basin coxarum posticarum attingente. Articulo primo tarsorum posticorum quam apicalibus duobus simul sumptis paulo longiore. — *Nigro-piceus*, breviter griseo-pilosus. Pronoti parte antica cicatricali, capite pectoreque dilute aurantiaco-flavis. Capitis superioris vitta mediana, retrorsum sensim dilatata et etiam pronoti aream cicatricalem percurrente, antennis, rostro, pleurorum limbis angustis posticis, sternis abdomineque vel nigris vel piceo-nigris tantibus. Ventris limbo latissimo cum limbo angusto connexivi luteo-albo.

Pedibus dilute piceis; femoribus lutescentibus, intus diffuse fusco-vittatis. Carinis scutelli obsolete lutescentibus. Membrana unicolori, fuscescenti. Long. corp. $8\frac{1}{4}$; lat. hum. $2\frac{1}{4}$ mm. Sumbawa. Coll. auct.

Astacops gracilis n. spec.

♂. Coloribus fere ut in *A. australi* Boisd. dispositis, at species multo debilior atque gracilior. Capite quam basi pronoti latiore; oculis sat longe stylatis; ocellis ab oculis quam inter se paulo minus quam duplo longius distantibus. Pronoto antrorsum distincte angustato, sat longe ante medium transverse impresso; area postcicatricali impunctata. Antennis gracilibus; articulo secundo quam tertio paululo longiore, hoc et quarto aequilongis. Rostro inter coxas posticas extenso. Tarsorum posticorum articulo primo quam duobus apicalibus simul sumptis paulo minus quam duplo longiore. — Saturatus sangineus, albido-tomentosus. Antennarum articulis tribus apicalibus, rostro, trochanteribus cum basi femorum tibiisque apicem versus et tarsis late stramineis. Ventre luteo-albo. Huius disco longitrorum limboque angusto laterali, dorso abdominis, pectore, rostri apice, limbo costali corii ante apicem, scutello pronotique area cicatricali nigris. Membranae dimidio basali fusco, apicali hyalino. Long. corp. $8\frac{1}{4}$ mm; lat. hum. $2\frac{1}{4}$ mm. Halmahera (Todaha, leg. Kükenthal, 1. Mai 1894). Mus. Francof.

Physopelta dubia n. spec.

Formae alatae *Ph. (Iphitae) limbatae* Stål, quam ex insula Sumatra recepi, simillima; vix differt nisi tibiis anticis infra haud nisi obsoletissime sulcatis ibique in utroque sexu spinis nonnullis (4—7) fortibus, breviter conicis armatis. Femoribus eorundem pedum subtus apicem versus in latere inferiore spinis duabus minoribus unaque maiore subapicali armatis. Scutelli basi triangulariter distincte depressa. Ventre late aurantiaco-limbato. Capite pedibusque totis (cum geniculis, femorum basi, trochanteribus et coxis) piceo-nigris. Hemelytris alisque in omnibus, quae vidi, speciminibus completis. Long. corp. cum memb. $21\frac{1}{2}$ — 25 mm; lat. hum. $6\frac{1}{2}$ — $7\frac{1}{2}$ mm. Nova Guinea (Astrolabe Bai). Coll. auct.

Physopelta elegantula n. spec.

♀. *Ph. villosae* m. sumatranae similis et affinis. Corpore, ut in illa specie, parvo, dense viloso, antennis brevibus inci-

suris ventris quarta et quinta latera versus valde antrorsum curvatis; quarta obsoletius, quinta distincte usque ad abdominis marginem perducta. Capite quam in *Ph. villosa* multo breviore, distincte transverso. Pronoto quam longitudine sua fere duplo latiore, antrorsum paulo angustato; marginibus paulo pone medium late leviterque (minus profunde quam in *Ph. villosa*) sinuatis; parte marginis ante sinum sita leviter rotundata. Pronoto impressione transversa punctata fere dimidiata; area antica longitudinaliter modice convexa, impunctata, extus utrimque a margine ipso anguste callose elevato serie punctulorum separata; area posteriore planiuscula, marginibus subcallosis exceptis dense fortiterque punctata. Scutello obsoletius punctato, medio pone basin subimpresso. Hemelytris punctatis. Articulo basali tarsorum posticorum quam apicalibus duobus simul sumptis duplo longiore. Antennis quam in *Ph. villosa* paulo brevioribus et crassioribus.

Piceo-nigra, lutescenti-griseo-pilosa. Pronoti angulis humeralibus (nec margine tantum humerali), corii limbo costali basin versus sensim dilatato ibique supra corii et clavi basin extenso anguloque lato apicali corii nec non ventris limbo usque ad apicem segmenti ventralis quinti laete aurantia co-rubris, reliquo ventre piceo. Membrana nigra. Antennarum articulo quarto luteo-albo; parte apicali circiter tercia basique ipsa fuscis. Long. corp. $7\frac{1}{2}$ mm; lat. hum. $2\frac{4}{5}$ mm. — Key - Inseln.

Limbo rubro corii basi apiceque introrsum valde dilatato primo intuitu a *Ph. villosa* differt.

Antilocus immundulus n. sp.

♂. Statura fere *A. histrionici* Stål, nisi paululo brevior ac proportionaliter latior. Capite minutissime ruguloso. Pronoto circa medium linea impressa transversa, punctata dimidiata; area cicatricali subconvexa, glabra; area collari densissime punctulata; area pronoti postica fortiuscule et sat remote punctata; marginibus pronoti lateralibus (ut in *A. histrionico*) subcaloso-convexusculis, nec leminato-reflexis. Corio clavoque sat dense fortiterque punctatis, margine costali subreflexo, glabro. Rostro inter coxas intermedias extenso; articulo secundo articulis duobus apicalibus simul sumptis aequilongo. Femoribus antieis subtus serie unica spinularum apicem versus longitudine crescentium armatis.

Corpo supra rufescenti-piceo-brunneo. Capite superno, rostri apice, pedibus abdomineque piceis; pectori rostrique basi dilutioribus. Limbo angusto antico pronoti limboque laterali pronoti, corii, pectoris et ventris nec non dorso abdominalis aurantia co-rubris. Antennis nigris, articulo quarto piceo. Membrana sordide fusca, limbo ipso dilutiore. Long. corp. cum memb. $16\frac{1}{2}$ mm; lat. hum. $5\frac{1}{3}$ mm.

♂. Segmento genitali, fere ut in *A. histriónico*, convexo, maximo, distincte latiore quam longiore. Ins. Dammerr. Coll. auct.

Dindymus daiacus n. spec.

Species elegans, *D. albicorni* Fab. valde similis, differt area postica pronoti nitida, magis minusve densius punctata, corio sat fortiter et remote punctato (nec densissime punctulato) et clavo quoque hic, quam in *D. albicorni*, distincte fortius punctato. Limbo postico pronoti (ante humeros ipsos decurto) eburneo, vel rarius toto nigro (nunquam eburneo-bimaculato). Acetabulis intermediis extus vel macula eburnea destitutis vel rarius macula minutissima instructis; acetabulis anticis antice atque subintrorsum (nec, ut in aliis speciebus, extus circa rimulam fissuralem!) eburneo-maculatis. Antennarum articulis tribus basalibus omnino piceo-nigris; apice articuli quarti latius infuscato. Long. corp. 9—13 mm. Banguey ins. (prope Borneo, 15 specim. examinavi). Coll. auct.

Dysdercus cingulatus Fab. auct.

Sub hoc nomine ab auctoribus duae species confunduntur, simillimae quidem inter se, tamen haud difficulter distinguendae his notis:

D. cingulatus Fab.

(= *Pyrrhocoris Koenigii* Fab. H.-Schäffer, Wanz. Ins. II. pag. 12, Fig. 122).

Corpo maiore; capite nitido, quam in *D. poecilo* H.-S. nonnihil longiore, antrorsum acutius prominente. Pronoto obsoletius punctato. Corio semper nigro-notato (vel unimaculato, vel fasciato); macula rotundata ad apicem rimulae plicatoriae posita et ab hac rimula rite dimidiata, a margine costali et ab angulo interiore corii fere aequa longe distante. Long. $12\frac{1}{2}$ —18 mm.

In speciminibus e Nova Guinea reportatis macula corii transversaliter ovata est, in speciminibus in insulis Key inventis corium pro macula fasciam nigram percurrentem exhibit; hanc varietatem insignem distinguo^h hoc modo:

var. **ornatus** n. Corio fascia lata percurrente (circa medium nonnihil latiore) notato. Area postcicatricali pronoti maculis duabus discalibus magnis fuscis, saepe in unam confluentibus, raro obsoletis notata. Clavo apicem versus fuscescenti. Ventre latera versus magis minusve nigro-rubro.

Specimina vidi reportata ex India septentr., Sumatra (Dohrn), Borneo (1 specim.), Banguey, Balabac, Iolo (individua minuscula), Talaur ins. (1 specim.), Celebes (Sarasin), Halmahera (Kükenthal), Java, Banda maior, ins. Key (var. *ornatus*), N. Guinea (Milne Bai).

D. poecilus H.-S.

(= *Pyrrhocoris poecilus* Herr.-Schäffer, Wanz. Ins. VII. pag. 17, Fig. 699).

Corpore minore; capite opaco, quam in *D. cingulato* Fab. breviore atque obtusiore. Pronoto semper distincte punctato. Corio vel nigro-maculato, vel omnino concolori, vel eius dimidio toto interiore nigro; macula rotundata, cum adest, inter apicem rimulae plicatoriae et basin areolae interioris membranae posita, angulo interiore corii quam margini costali multo magis approximata suturamque membranalem semper attingente. Long 8 $\frac{1}{2}$ —12 mm. — Macula corii rarius transversa, subfasciiformi (ut in Fig. 699 H.-Schaefferi), semper tamen a margine costali longe remota suturamque membranalem circa basin areolae interioris arcte attingente.

var. **simplex** n. Corio immaculato.

var. **semifuscus** n. Corii dimidio interiore nigro.

Specimina vidi reportata ex Sikkim (1 specim.; an patria correcta?), Sumatra (H. Dohrn), Borneo (Kina Balu, 1 specim.), Balabac, Palawan, Iolo (formo typica cum var. *simplex* et *semifuscus*), Java, Banda maior*).

*) Beide Arten kommen demnach an den meisten Stellen zusammen vor. doch scheint *D. poecilus* in der papuensischen Region zu fehlen. Oft habe ich Pärchen in copula gesehen, doch niemals beide Arten mit einander vermischt.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1901

Band/Volume: [20](#)

Autor(en)/Author(s): Breddin Gustavo

Artikel/Article: [Lygaeidae et Pyrrhocoridae novae malesiae. 81-85](#)